



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tractatio Synoptica De Iudiciis Ad Lib: II. Decretal: Gregorii IX.

Herberstein, Ferdinand von
Tabarelli de Fatis, Donato Vincenzo

Spirens., 1660

11. Quibus casibus iudex summarie procedere possit?

urn:nbn:de:hbz:466:1-11416

*cus: L. omnia 71. ff. de R. I. Covar: p. 2. de Ma-
trim: cap. 8. §. 12.*

II. Ex quibus facile deduces, non potest
se Judicem pro arbitrio suo in qualibet
causa coram se intentata summarie
procedere, sed in illis tantum casibus,
quos jura exprimunt *L. nec quidquam §. de
plano ff. de offic. Procons.* in reliquis autem
ibi non recensitis teneri servari proces-
sum ordinarium, adeo ut neque legato
à latere permissum sit per se cognoscere,
vel delegare alteri causam cognoscendam
summarie, quæ de Jure summaria non
est, ut fuse *Gl. in cap. fin. de heret. in 6.* Sicut
è contrà, si per rescriptum (ut sæpè fit)
Judici mandetur, ut in causa certa pro-
cedat summarie, non potest Judex ut
processu ordinario, quia mandatum ha-
bet procedendi summarie, quod ipse non
potest invitis partibus ex se mutare, ut
tradit *Gl. in Clement. Sæpe de verb. sign. cum
Panor. ibid.* Dico partibus invitis, quia si
partes consensum præstent, ut proceda-
tur viâ ordinariâ, id Judex poterit, quia
quamvis ipsi mandetur, ut de plano pro-
cedat, id tamen factum est, in favorem

par-

partium, cui renunciare partes possunt. Quæ ferè ratio est, ob quam quando causæ, quæ non ex speciali mandato hominis, sed ex commissione juris tractandæ sunt summarie, Judici permissum sit, uti processu ordinario: nam cum in jure, videlicet *Clemen. dispendiosa* quæ hujusmodi causas summarias recenset, nullum Judici detur mandatum, sed tantum facultas, procedendi summarie, si ita viderit expedire, non est cur non possit procedere modo ordinario: ut *ibid. Gl.* quia facultas ibi data non ligat illum ad talem modum procedendi, neque partibus favor datus est, nisi ex quadam consequentia, & mediante voluntate Judicis.

12. Quod tamen de usuris in *cit. Clemen.* dicitur, intelligi debet de usuris deductis ad forum Canonicum, quia quando de iis tractatur in tribunali Civili, quod ubique penè jam practicatur, non est causa summaria, sed ordinaria. Causæ ergò summarie præter dictas *sup. n. 10.* censere debent 1. causæ Religiosorum personales, & criminales, *cap. olim de accus. 3.* 2. causæ delictorum levium, *L. levia, ff. de*